



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetae Psalterium

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs CXLIX. Cantate Domino canticum &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Cuncta creatoris celebrent super omnia nomen,
Quod solum sublime, procul supereminet omnes
Cælorum, & terra, pelagi, finesq; profundi.
Huic soli debetur honos, qui nobile regnum,
Atq; sui cornu populi euehit, undiq; firmans
Robore: quas laudes semper sonet Isacidarum,
Incluta posteritas, quam diligit ipse Iehoua.
Eia Deo grates sint, musica, iubila, plausus.*

PSALMVS CXLIX.

Cantate Domino canticum &c.

L Aus, honos & gloria
Sit Deo, fœtus noui
Huic sacretur carminis.
Hunc sono per iubila,
Prædicet cohors sacra:
Conditore gaudeat
Israëlis gens Deo.
Et Sionis paruuli
Rege gaudeant suo.
Eius & nomen canant

In

In choreis, buccinis,
Tympanisq; bellicis.
Sic enim Deo placet
Natio concredita.
Namq; egenos subleuat,
Et misellos adiuuat.
Tum lubens ad sydera
Erigat pius manus.
Et celebret gloria
In cubilibus suis.
Euehat nunc carmine,
Atq; laudes splendidas
Fundat ille gutture.
Ensis eius in manu
Sit biceps, ut Ethnicos
Vindicet pro debito,
Atq; possit principum,
Hic catenis omnium
Dura colla neçtere,
Et malos iussu Dei
Dedere ad pœnas graues,

Quod

*Quod pio laudabilem,
Procreabit gloriam.*

PSALMVS CL.

Laudate Dominum in sanctis eius, &c.

Ferte sonos Domino suaues, cantate Jehoua
Ore pio cuncti, quos modò mundus habet.
Sanctus enim fulget, solioq² locatus in alto
Nos beat & ditat, pro bonitate sua.
Dicite leta Deo memori præconia versu,
Qui sedet ætherea Rector in arce potens.
Virtutem eximiam celebretis laude Iehoua,
Egregio ornantes carmine facta Dei.
Conditor hic hominum, cæli terraq² marisq²,
Huic suauis laudum munera ferte tono.
Tu tuba bellatrix taratantara redde tremendum,
Tu Domino laudes, quas potes, ipsa refer.
Huicq² sonent laudes psalteria grata, sonentq²
Cum citharis blandis nil nisi dulce lyræ.
Tympana pulsentur choreas imitantia festas,
Laude Deum chorus & tibia iuncta vehant.

Pp Cor-